




11, 53.

1. 888.

70

V. Jena Hübn. Tab: 162.
Jo. Paul Reinhard, tab. 14. 2.



ADESTE BENIGNI
ADESTE PROMTI.

AVSPICIIS SERENISSMI TVTORIS
GVILIELMI ERNESTI.

DVC: SAXONIE IVL: CLIV: et MONT:
SOL ORITVR

GERMANICVM COELVM LYCE AVCTVRVS.
IOHANNES GVILIELMVS

SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE

AC MONTIVM DVX

SACVLI DELICIVM

SPES VNICA SVORVM

DIEM NOBIS PRÆSTAT

QVO NVLLVS AVSPICATIO R VNQVAM

AC DVM REGIMEN SVSCIPIT ACADEMICVM

FVTVRA PACIS BONA POLLICET VR

MVSIS TRANQVILLITATEM ET OTIVM.

VOS IGVTVR

QVIBVS NON SCEPTRA MAGIS AC PVRPVRA

QVAM DOCTRINA CORDI EST

HVC OCVLOS HVC ANIMOS VORTITE

ET VT EXCELSVM IVBAR NVNQVAM OCCIDAT

BENIGNE ET PROMTE VOVETE.

Joh. Müntzel Del.

J. C. G. Ker. sculp.





AC DVA REGINA SVONIT ANADIMETM
MVA TRAVAVITIAM ET OIVAV
703 1011V
OVAV NON SVT TRA MACHV ACIVPVA
OVAV SVCTINA CORDET
HIC OVAV SVCTINA CORDET
OVAV SVCTINA CORDET
OVAV SVCTINA CORDET

PROGRAMMA
INAUGVRATIONIS PVBLICAE
CVM
SERENISSIMVS PRINCEPS
AC DOMINVS
DN. IOANNES GVILIELMVS

SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE AC MONTIVM DVX,
LANDGRAVIVS THVRINGIAE, MARCHIO MISNIAE,
PRINCEPS HENNEBERGIAE, COMES IN MARCA
ET RAVENSPERG, DYNASTA IN RAVENSTEIN
PRINCEPS NOSTER CLEMENTISSIMVS

RECTOR
ACADEMIAE IENENSIS
ELECTVS

MAGNIFICENTISSIMVS

ORNAMENTA SOLENNIA
FASCES AC PVRPVRAM

SVMERET.



LITTERIS NISIANIS.

R E C T O R
A C A D E M I A E I E N E N S I S
FRIDEM. BECHMANNVS

S. Theol. D. eiusdemque Prof.

I V X T A

C V M P R O F E S S O R I B V S R E L I Q V I S

S. D.

C I V I B V S




i qua memoria vnquam
fausta & iucunda, illius diei certe fuit, qua post bel-
lum exitiale compositum in Germania, florem pa-
triae renascentem, & parta huic academiae incrementa
felicissima, anno tricesimo abhinc & quarto, diuus
heros, BERNHARDVS SENIOR, SAXONIAE,
IVLIACI, CLIVIAE AC MONTIVM DVX, Dominus
quondam ac nutritor clementissimus, academica sce-
ptra & moderamen publicum gloriose capiebat. Antea paullo infesta circumfe-
rebantur arma, nec locus erat, quem hostis non peruaderet, ac sanguine largi-
ter fuso haut profanaret, cuius ferocitatem litterata ciuitas nostra aliquoties
assa,

passa, & cohorrui pēitus, mentione illius facta, & mala reditura pie depre-
cata est. Non seges in aruis, non pabula gregibus integra, non cultor in vi-
neis, tristis vbiq̄ue vastitas, magnaue hominum solitudo, quam augebat
nimio pere communis inopia, fames, morbus varius, terra cadaueribus trucidato-
rum quasi tumens, ac libitinæ passim grassantis acerba necessitas. In tantis
calamitatibus musæ sibi metipsis dabant inferias, ac dum ferro adsuescerent
mortales, nemo fere curabat adeo, quid ageretur in coetu liberali sapientum,
quæ remedia præsto essent arcendæ barbariei, aut vnde, pulsis tenebris ignoran-
tiæ, noua lux bonis artibus affunderetur. Interea vero, cœlesti beneficio, pax
reddita nostris ea statim attulit bona, quibus in hunc diem læti fruimur, neque
magnitudinem illorum digne satis percensere vnquam possumus, grati sane
futuri, vbi perpetuæ tranquillitatis, & reconditæ doctrinæ mysteria, pari im-
posterum constantia veneremur, & quæ faciunt ad ecclesiæ, rei tam publicæ
quam litterariæ commoda, iunctis animis porro ac facultatibus prosequamur.
Sæculi beatioris ortum dicamus, immo ordinem temporis restitutum, quo ex-
cellæ recordationis princeps, WILHELMVS QVARTVS, SAXONIAE, IV-
LIACI, CLIVIAE AC MONTIVM DVX, Dominus an pater olim huius
academiæ, munificentia, cura, amore & gratia incomparabilis, eos quos no-
uerat auitæ fortunæ heredes, pignora salutis publicæ, ac fulcra domus, in hoc
illustri famæ theatrum prodire voluit, vt non magis eruditæ societati interes-
sent, quam exemplo maiorum præessent. Auspicia hæc existimabat rerum præ-
clare gerendarum, non ex vmbra dignoscenda, sicut opinarentur forte plures,
aut quod nullæ heic instruerentur acies, nulla committerentur prælia, longe po-
nerent infra dignitatem indolis heroicæ: cum nec desint hodie pulcherrima sum-
morum hominum facta, quibus ab istis primordiis decus præcipuum, honor
& laus maxima debetur. Ipse auus, præconio celebrandus immortalis suorum,
ipse parens gloriosissimus, si fatorum serie concederetur, vt superstites adspi-
cerent coram, SERENISSIMVM PRINCIPEM, IOANNEM GVILIEL-
MVM, SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE AC MONTIVM DVCEM, DO-
minum clementissimum nostrum, A.D. VIII IDVS IANVAR. prono ac de-
uoto senatus academici suffragio, RECTOREM MAGNIFICENTISSI-
MVM, proximo semestri electum esse, vota similiter conciperent nobiscum,
& quæ putantur in terris optima, adplausu & gratulatione festiua expromerent.
Illi numerarent inter prospera sæculi, ac singularia vitæ ornamenta, surgere pa-
tria stirpe principem, cuius virtus noscatur annis maturior, quique inusitato vi-
uendi sapiendique genere præuortat æquales, ac felici successu excreseat ad fir-
mum Imperii robur, ac propriæ ciuitatis solatium. Supra fidem est, animum
saluberrimis incitationibus adluctum, in quascunque partes intendi, diuina cu-
rare

rare & humana, non curioso vulgi more, non vano ætatis impetu, sed quo solent studio in hoc fastigio & sibi consulere alii, & subiectis. Fecit contemplatio istorum, quare SERENISSIMVS PRINCEPS AC DOMINVS, DN. WILHELMVS ERNESTVS, SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE AC MONTIVM DVX, ETC DOMINVS ac nutritor clementissimus noster, tutelari nomine consentiret benignissime, quamprimum delegati ex senatu academico huius negotii causam demisso obsequio explicarent. quin singulari eos voluntate excepit, atque instituto vere paterno significavit, nihil de fore illorum, quæ ad solennia inaugurationis requirentur. Latati omnes, cuncta tam feliciter consonare, vna concordique voce pro salute heroum vota nuncuparunt, vt numen annos vtrinque proueheret optatis auctibus, ^{mensis factorum} gloria distingueret, dies ex meritis cumularer. Adeo enim sanctitas morum, inque suprema dignatione humanitatis generosæ temperamentum amabile singulos excitat, qui cum plura nequeant, omnia & seipso throno aduoluunt, indubitata spe, ita secum precaturos, qui felicitatem publicam amant, quique DEO confidunt, huius voti fiduciam assumpturos esse. Vt autem quotidianæ regiminis academici molestiæ sustinerentur facilius, vnanimi præterea consensu PRORECTOREM MAGNIFICVM designauimus, nobilissimum, consultissimum, excellentissimum virum, PETRVM MVLLERVM, iureconsultum, consiliarium Saxonicum, & antecessorem, scabinatus, collegii iuridici ac prouincialis iudicii adfessorem, collegam nostrum honoratissimum, qui prudenti opera, ac spectata iam tum virtute in hoc munere, SERENISSIMVM PRINCEPEM manu quasi vicaria subleuet. Proximo Iouis die, hora IX matutina, in templo S. Michaelis oppidano, totius lætitiæ & inaugurationis pompa, ipso SERENISSIMO PRINCEPE TVTORE præsentem, cum splendida aulicorum familia perageretur. Vestrum igitur est, o nostri, constituto die ac hora, modesto dignoque studiis cuiuslibet habitu comparere, in area collegii academici: mox signo campanæ bis dato, ordine nobiscum & iusta serie, ductos inde per marescallos, in castrum principale, comitari MAGNIFICENTISSIMVM ACADEMIAE RECTOREM, ad sacra euntem, leges ibidem audire, pro conseruatione pacis & incrementis SAXONICAE DOMVS, preces fundere ardentissimas. Finitis hisce, summa carimonia, rursus ordine coniuncti, eodem redibitis tramite, eadem modestia, & frequentia, qua numerum & solennem processionem ornare antea cœperatis. Si hæc rite feceritis, docti hominis officium secuti, eleganti ac bene composita mente, laudibus propriis, & obsequii gloria præsertim abundaturi, nunquam frustra desiderabitis, quæ ad vestra parantur commoda. P. P. A. D. XIX FEBR. CID IDC LXXXVIII.





ADESTE BENIGNI
 ADESTE PROMPTI
 AVSPICIIS SERENISSIMI
GVILIELMI ERNESTI
 DVC: SAXONIE IVL: CLIV: S: R: P:
 SOL ORITVR
 GERMANICVM COELVM LVCE
IOHANNES GVILIELMVS
 SAXONIAE IVLIACI C: S: R: P:
 AC MONTIVM D: S: R: P:
 SACVLI DELICIVS
 SPES VNICA SVORVM
 DIEM NOBIS PRAESIDI
 QVO NVLLVS AVSPICATIO
AC DVM REGIMEN SVSCIP
 FVT VRA PACIS BONA PO
 MVSIIS TRANQVILLITATE
 VOS IGITVR
 QVIBVS NON SCEPTRA MAG
 QVAM DOCTRINA CO
 HVC OCVLOS HVC ANIMOS
 ET VT EXCELSVM IVBAR NVN
 BENIGNE ET PROMTE



Joh. Mützel Del.

J.C. Craker. sculp.